

Amator fuit iusticie et defensor egregius. Ecclesiasticus totus fuit conversatione et moribus. Si quis sancte Dei ecclesie resistere voluit, ipse fuit eius propugnator et adiutor fortissimus et contra eam impugnantes inexpugnabilis clipeus. Certe vellem et mei esset desiderii, ut omnes reges mundi eius exemplo ad sancte Dei ecclesie honorem et libertatem servandam invitarentur.

Vidi enim quam sepius, quod in processione sollempni^f post episcopum veniens respiciebat, si aliquis clericus vel sue private familie vel aliquis scholaris, quia civitas illa multis habundat scholaribus, eum fortuito sequeretur. Quod si nullum videret, episcopum humiliter sequebatur. Si vero etiam aliquem pauperem, etiam persona(m)^g contemptibilem forte se sequentem respiceret^h, obstupescebat. Utique quasi angelico exhortatus hortatu statim fiebat retrogradus. Sibi ipsi, quasi Deo multam intulisset iniuriam, gravissime indignabatur. Dicebat ergo: „Vos clerici precedite, perⁱ sanctos de Bethleem ego non precedam. Vestrum est precedere. Ite, ite, meum est et omnium laicorum vos subsequi, et vos nobis debetis ostendere viam“.

Vidi etiam, quod volens quadam die venire Parisius, detentus est in via. Recepit se propter noctis instantiam, que eum prevenerat, in quadam canonicorum Parisiensium villa. Locus ille Christolum^j vocabatur. Ibi iacuit, ibi ab hominibus loci data sibi fuit expensa. Summo mane nuntiatum fuit canonicis. Contristati sunt valde. Dixerunt ad invicem: „Destructa est ecclesia. Fracta sunt privilegia. Aut rex iste expensas nobis restituat, aut cesset universa ad nos respiciens ecclesia Parisiensis“. Venit rex eadem die Parisius. Sicut de consuetudine, quaecumque tempus esset, semper habebat, ad maiorem venit ecclesiam. Foris stetit ut^k alter concivis, quia clausam contra se invenit ianuam ecclesie. Admiratus est. Cepit querere, quid esset in causa et si forte, quia emendare vellet, aliquis offendisset ecclesiam. Responsum est ei tandem: „Vere rex, tu es ille homo, qui contra huius sancte ecclesie sacram^l consuetudinem et libertatem aput Christolum^m sero non de tuo, set de hominum huius ecclesie marsupio presumpsisti cenare. Igitur cessat hec ecclesia, igitur hec ipsa clausa est tibi ianua. Et prius omnes canonici exeunt de vestra potentia, quam sustineant suis temporibus libertatem ecclesie deperire. Et ob hoc, si necesse est, parati sunt, antequam con-

f) in ecclesia videlicet beatissimae Virginis et Dei genitricis Mariae Parisiensis *fügt hinzu Martène*. g) personam *Martène*. h) conspiceret *Martène*. i) *bes-ser pre*. j) Christolum *Martène*. k) et (?) *vor Korrektur Hs., et Martène*.

l) sacratam *Martène*. m) Christolum *Martène*.